



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XI. Varia Imperatorum, Regum ac Principum diplomata ad res
Ratisbonenses potiſimum spectantia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527


VARIA IMPERATO-
RVM, REGVM AC PRINCIPVM
DIPLOMATA AD RES RATIO-
bonenses potissimum spe-
ctantia,

LECTORI


Xscripsimus hac diplomata ex Codice manuscripto membranaceo, quem Viennâ ad me humanissimè misit clarissimus vir, Dominus, Doctor SEBASTIANVS TENNAGEL; qua omittere non visum, tum propter Diocesim Ratisbonensem, de qua S. Otho, Bambergensis Episcopus, praeclarè olim meritus est, ut testatur Vita eius, tum quia lucem adferre poterunt iis, qua vir Nobilis VVIGVLEVS HVNDIYS in Metropoli Salisburgensi scribit, ad calcem Catalogi Episcoporum Ratisbonensium, & in Historia Monasterij S. Haimerani, ut ipse appellat; tum denique, quia prodeit in huiusmodi literis veterum Imperatorum, Regum ac Principum pietatem, & in cultores pietatis beneuolum & municipum affectum intueri, nam & hoc simulcernimus, quantum saecula nostra à maiorum semitis & vestigiis exerrauerint, Vale.

Tt Pri-



I.

Privilegium Fuldensi Monasterio à Gregorio IV. concessum.

Gregorius Papa Seruus seruorū Dei dilectissimo in Domino filio Rabano, & venerabili Abbati. Pontificij nostri cura nos vrget sanctarum omniū Dei Ecclesiarum vtilitatibus fauere, ac secundum quod vnaquæque in proprio statu mansura sit, congruum eis impartiri suffragium. Ex hoc enim lucri potissimum præmiū à conditore omnium Deo, procul dubio promeremur, si venerabilia loca oportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta.

* *Bochonia.*

Igitur quia postulastis à nobis, decreuimus nostra Apostolica præceptione reconcedere, ac reconfirmare perpetualiter vobis, vestrisque successoribus Monasterium Fuldense, quod sancti Bonificij vocabulo viger, sicut in loco, qui vocatur * Bochonia, iuxta ripam fluminis, qui dicitur Fulda, cum omnibus Cellis, Curtibus, districtionibus, seu omnibus rebus mobilibus & immobilibus sibi pertinentibus, quas nunc habet, & in futuro, Deo auxiliante, habebit.

Concedimus etiam, atque donamus vobis, charissime, ac dilectissime fili, vestrisque successoribus Abbatibus in perpetuum pro magno vestro amore, nimiaque dilectione, quam circa vos habemus, & deinceps habere cupimus, monasteriū sancti Andreæ Apostoli, quod vocatur Exauilum, situm Romæ iuxta Ecclesiam sanctæ Dei genitricis MARIAE semper Virginis, quæ vocatur ad præsepe, cum omnibus mansionibus, caminatis, cellis, vinariis & conquina, cum vineis, hortis, diuersisque generibus pomorum, cum curte & puteo in introitu per portam maiorem à via publica, & cum omnib. ad idem monasteriū pertinentibus, tam intra, quam extra urbem sitis, quæ ei iuste ac rectè pertinere dinoscuntur. Nul-

Nullus etiam Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, vel quoquo modo in Clero constitutus, temerè, aut proteruè, nisi à vobis accepta licentia, super principale altare vestri monasterij Missarum solennia celebrare præsumat, aut quamlibet ditionem, vel auctoritatem habere in idem Fuldense monasterium præter nostram Apostolicam sedem: Specialiter Episcopus, in cuius dicecesi constructum esse videtur, ita vt nisi ab Abbate monasterij fuerit inuitatus, nec missarum solennia ibidem celebrare præsumat. Bona verò, & oblationes, decimasque fidelium absque vllius personæ contrarietate, firmitate perpetua ipsi monasterio vestro, secundum prædecessorum priuilegia confirmamus & roboramus.

Decernimus etiam, ne alicui personæ, magnæ vel parvæ liceat aliquam vim, vel controuersiam inferre eidem monasterio in rebus & familiis eius; neque totum, neque partem ipsius mortalium alicui vllaratione subdere; vel, sub beneficij nomine dare præsumat, sed omni tempore soli nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ libera, securaque deferuiat. Eligendū quoque sibi Abbatem, quando opus fuerit, Fratres inter se potestatem habeant secundum regulam S. Benedicti, sine vllius personæ contradictione.

Cæterum verò hæc deliberantes decernimus, vt congruis temporibus nostræ sollicitudini Ecclesiasticæ intimetur, qualiter religio monastica regulari habitu dirigatur, concordiaque conuenienti Ecclesiastico studio mancipetur, ne fortè, quod absit, sub huius priuilegij obtentu, animus, gressusque recititudinis nostræ, à norma iustitiæ aliquando retorqueatur.

Concedimus etiam tibi, quem benè eruditum, & benè eloquentem virum esse nouimus, dulcissime fili, prædicare verbum Dei auctoritate S. Petri Apostoli, & nostra, eius indigni Vicarij: Et vt tam vos, quàm successores vestri, ante omnes Abbates totius Galliæ, seu Germaniæ primatum sedendū in omni loco, conuentuque, siue iudiciali sententiâ, seu in omnibus conciliis ac ordinibus nostra Apostolica auctoritate obtineatis. Abbas verò non nisi [ab] Apostolica sede benedi-

catur, à qua benedici debet; nec vnquam ab aliquo Episcopo consecrationem expetat, nisi à Romano Pontifice; nec consecratus ad aliud monasterium, in Fuldensi introducatur, vel præponatur monasterio. Vsum quoq; Dalmaticæ, caligarum, & sandaliorum, secundum quod ab antecessorib, nostris concessum est, vobis concedimus. Ac ne femina vnquam illud ingredi præsumat, nostra Apostolica auctoritate interdiciamus. Et, ne quis vnquā placitum ibi habeat, vel, in ceteris eius locis, nec seruos, nec colonos ad aliquod seruitium constringat, nisi cui Abbas ad vtilitatē suæ necessitatis assensum præbuerit.

Igitur generaliter addendum dignum duximus, vt, quidquid auctoritate Antecessorum quorumlibet nostrorum, Regum & Imperatorum ipsi Fuldensi monasterio constat fuisse concessum; sit & nostra Apostolica auctoritate per hoc nostrū priuilegium confirmatum, atq; corroboratum, statuentis Apostolica censura, sub diuini iudicij attestacione, ne quis vnquam nostrorum post decessorum Pontificum, Romanorum Regum, Imperatorum, Ducum, Marchionum, Comitum, & præterea Archiepiscoporum, Episcoporum, Patriarcharum, aut cuiuslibet dignitatis, vel conditionis hominum, contra hoc nostrum priuilegium quidquam audeat acceptare.

Quicumq; ergò huius nostri priuilegij obseruator extiterit, & pio intuitu custodierit, & ne in aliquo infringatur à se obseruauerit, omni benedictione repleatur, & peccatorum suorum absolutionē à retributore omnium bonorū Deo consequi mereatur, vt in cœlesti sede gloriatur. Qui autē, quod absit, hanc nostram præceptionem violare præsumpserit, nisi resipiscat, indiuiduæ Trinitatis iram incurrat, & à cœtu omnium sanctorum extorris existat, S. Petri Apostolorū principis maledictione redundet, CCC. X. & VIII. Patrum sacrosancto Concilio damnetur, atq; in extrema die Iudicij à maranatha anathemate perditus, lucis claritudinem nesciat, sed exteriores tenebras cum diabolo, ac consentaneis eius perpetualiter gemat, Amen. Datum per manum Benedicti Notarij ac Scriuarij Romanæ Ecclesiæ, Idibus Maij, Indiēt. XIV.

Diplo-

II.

Diploma Caroli Crassi.



N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Karo-
lus diuina fauente clementia Imperator Augu-
stus.

Si locis Deo dicatis aliquid ex nostra largi-
tate conferimus, proculdubio æternæ retributionis præmia
inde nobis augmentari credimus. Quapropter noluit om-
nium fidelium nostrorum præsentium scilicet ac futurorum
industria, qualiter nos, interuentu N. Abbatis nostri, cui-
dam fideli nostro quandam Capellam cum omnibus ad eam
pertinentibus ædificiis, mancipiis, terris cultis & incultis, a-
gris, campis, siluis, pratis, aquis, quæ ipse modò in beneficio
habere visus est diebus vitæ suæ sub vsu fructuario, in pro-
prietatem concessimus, & iussimus hoc nostræ auctoritatis
præceptum inde conscribi; per quod decernimus, atque iu-
bemus, vt præfatus N. eandem Capellam diebus vitæ suæ,
securè possideat: post ipsius verò obitum, ad Capellam no-
stram in * Regina ciuitate sitam; quæ est constructa in ho- * Regensburg.
nore S. MARIE, iure perpetuò pertineat, rectoresq; ipsius
Ecclesiæ eandem Capellam secundum voluntatem suam &
utilitatem præfatæ Ecclesiæ regant & disponant. Et vt hæc
auctoritas nostræ largitionis firmior habeatur, & per futura
tempora verius credatur, ac diligentius obseruetur, manu
propria eam subter firmuimus, & annuli nostri impressione
sigillari iussimus. Data Kalend. April. Anno Incarnat. Domi-
nicæ DCCC. LXXXIII. Indiæ. * Anno verò Imperij

Piissimi Karoli III.



Tt 3

III. Di-

* Numerus In-
dictionis non
cõparet in co-
dico antiquo.
Viderur leg.
Indict. I. Nam
Anno Christi
883. Indictio
prima curre-
bat. Vide Baro-
nium Tom. 10.
Anno 883.

Diploma eiusdem, ut videtur, Imperatoris.

IN nomine S. & indiuidæ Trinitatis, Karolus diuina fauente clementia Imp. Aug. Si pro Dei amore locis ipsi dicatis ex nostris rebus aliquid conferimus; & necessitates Ecclesiasticas nostro subleuamus iuuamine, id nobis ad æternam vitam feliciter capeffendam profuturum liquidò credimus. Ideo quæ nouerit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum solertia: quia nos, pro Dei amore, animæ quæ nostræ remedio concessimus ex rebus nostris ad Capellam nostram, quæ est in honore sanctæ & interemeratæ Virginis MARIÆ constructa infra ciuitatem Radespontanam, Ecclesiam vnâ cum casa & curte, & cum omnibus iustè ac legaliter ad ipsam Ecclesiam pertinentibus, campis, pratis, pascuis, syluis, terris cultis & incultis; aquis aquarum uic decursibus, viis, & inuis, accessibus & egressibus, adiacentiis, finibus: eo videlicet rationis tenore, vt deinceps perpetualiter ex ipsis rebus indeficienter luminaria ad sanctum locum pro animæ nostræ remedio habeantur. Vnde & hoc nostræ auctoritatis præceptum exinde fieri iussimus; atque iubemus, vt nostris temporibus, & futuris præfata res ad præscriptum sanctum locum inuolabiler permaneat, nullus quæ habeat potestatem exinde aliquid minuere, vel abstrahere. Et vt hæc nostræ concessions auctoritas per futura tempora, à cunctis fidelibus nostris verius credatur, & diligentius obseruetur, manu propria subter eam confirmauimus, & annulo nostro insigniri iussimus.



IV.

Diploma eiusdem Imperatoris.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Karolus diuina fauente clementia Imperator Augustus.

Si de rebus terrenis fidelibus nostris opportunitates accommodauerimus, beneuolentiores eos facimus, & ad eò, nos mercedem inde habere, liquidò credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum, presentium scilicet ac futurorum industria; qualiter nos, fidei nostro Abbati N. ob fidele seruitium illius, & pro augmento mercedis nostræ apud Deum * causas nostras per hanc * f. ca. f. nostram auctoritatem concessimus, & donauimus. Itaque illi, vsque ad finem vitæ suæ, in proprietatem, quidquid pertinet ad Capellam nostram, quæ sita est in Vrbe Regina, potestatiuè confirmamus; quatenus securus, pro nobis, nostrisque parentibus oret cum Clericis ad seruitium Dei nutritis. Et vt hæc nostræ largitionis, siue concessionis auctoritas firmiorem in DEI nomine obtinere valeat vigorem, manu propria nostra subter eã firmauimus, & annuli nostri impressione insigniri iussimus. Data, X. Kal. Septemb. Anno Incarnat. Domini DCCC. LXXX. Ind. * III. Anno regni Karoli piissimi Imperatoris VIII. Imperatoriæ verò dignitatis in Italia, * scribe. Indict. XIII, V. In Francia, IV. In Gallia, primo. Actum VVeihetingen, in Dei nomine feliciter, Amen.

V.

Diploma Karolomanni.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Karolomannus Dei fauente gratia Rex.

Si pro Dei nutu; vel, pro mercede æternæ retributionis fidelibus quibuscunq; nostris quasdam res proprietatis nostræ donamus; nõ solùm regiam morem

Carolomanni
Ludouici Regis
Germaniæ
filius.

Meminit huius Diplomatici Hundius in Metropoli, in Hist. de Monasterio S. Emmerani. p. 227.

Hueb.

rem decenter implemus, verum etiam æternæ beatitudinis præmium nos promereri, liquidò credimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque, scilicet presentibus & futuris; quoniam quidam fidelis, ac dilectus Presbyter noster, nomine Job, culmen serenitatis nostræ adiit, deprecans, ut ei quasdam res nostræ proprietatis in pago N. in comitatu N. in proprium donaremus. Nos verò libentissimè petitioni illius satisfaciētes, propter nimiam seruitutē illius in nos exhibitam, per hoc præsens præceptum nostrum, donauimus duas Hobas in proprietatem cum VIII. mancipiis, cum terris cultis & incultis, agris, pratis, pascuis, siluis, aquis, aquarumq; decursibus: Omnia hæc prædicto dilecto Presbytero nostro in proprietatem dedimus, atque de nostro iure, in eius Ius, & dominationem trāsfundimus, ea videlicet ratione; ut ab hodierna die, & deinceps, hæc ipsam proprietatem omnibus diebus vitæ suæ habeat, teneat, atque possideat: post obitum autem illius, ut res prædictæ redeant in potestatem S. Emmerami Martyris Christi.

Et, ut hæc auctoritas nostræ largitionis ab vniuersis fidelibus firmior habeatur, & per futura tempora verius credatur, ac diligentius conseruetur, manu propria nostrâ subter eam confirmauimus, & annulo nostro sigillari iussimus. *Sigillum Domini Karolomanni piissimi Regis.* Datum III. Non. Decemb. Anno, Christo propitio, III. Domni Karolomanni Serenissimè Regis in Bauaria, & secundo in Italia, Indiæ. XI. Aetum Rattendorf Curte regia in Dei nomine feliciter.

VI.

Diploma.



In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. C. Dei gratia Rex.

Si Dei Ecclesiis nostro videlicet Regim in e procurandis dignos adhibere curamus honores, non solum terreni, sed & cælestis regni non dubitamus honore & fastigio nos sublimari. Inde volumus in nostrorum, presentium,

rum, futurorumque peruenire notitiam; qualiter conuenit inter venerabilem virum Radesponensis Ecclesie Episcopum * Tutonem, & quendam hominem nostrum, vt aliquas res eorum inter se, pro ambarum opportunitate partiū concambire deberent: quod & fecerunt. Tradidit igitur N. proprietatem suā sancto Emmeramo Martyri, qualem visus est habere, cum omnibus ad prædictum locum ritè pertinentibus in manum Episcopi & aduocati sui N. in perpetuā proprietatem: E contrario verò retradente eodem Aduocato vnā cum manu Episcopi accepit prædictus N. de rebus S. Emmerami locum N. cum omnibus appendiciis in perpetuam proprietatem. Et vt huius concambij præceptum firmum, stabileque permaneat, manu propria subtus illud firmauimus, annuliq; nostri impressione signari iussimus.

* De hoc vide
Hundium in
Metrop. p. 60.
§ 225.

VII.

Diploma.

IN nomine sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, C. Dei concedente clementia, Rex.

Si Ecclesias Dei aliqua semper vtilitate fulcire studuerimus, non solum regium morem exerceamus; sed etiam aliquod lumen animæ nostræ inde promereri speramus. Quapropter cognoscat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum industria, qualiter nos admonete Adeluardo Episcopo pro honore Dei sancto Martyri Emmeramo cōcessimus de nostro iure decimam partem vestigalium, id est, de ministerio N. ad concinnanda luminaria iure perpetuo in proprium. Et vt hæc concessionis nostræ auctoritas firmiter habeatur, & per futura tempora, à fidelibus nostris verius credatur, & diligentius obseruetur, manu nostra subtus eam firmauimus, annuloque nostro sigillari iussimus. Dat. III. Kal. Iul. Anno Incarnat. Domini nostri Iesu Christi DCCC. XVI.

Diploma Arnulphi Imperatoris.

AN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Arnulphus diuina fauente clementia Imperator Augustus.

Regalem concedet dignitatem, vt facta fidelium suorum, quæ communi ipsorum congruunt vtilitati, & piè eis cõsulendo prospiciat, & in posterum mansura gratanter corroboret. Inde omnium Christianæ religionis fidelium instantis temporis ac futuri agnitum esse volumus notitiæ qualiter Tuto honorabilis Radesponensis Ecclesiæ Præsul, & commissi gregis nomine ac merito tutissimus prouisor, & femina quædam N. quandam complacitationis inter se, more populari perpetrata chartam nostris præsentarunt obtutibus supplicantes nostri edicti tenore eam consolidari; quod ita fieri decreuimus. Iussimus igitur hoc præsens muniminis nostri præceptum inde fieri; per quod decernimus, atque omninò præcipimus, vt huiusmodi complacitationis confirmatio à nullo vnquam successore nostro violetur, sed in Christi nomine vsque in finem consolidetur, manu nostra subtus eam roborantes, annulo nostro iussimus insigniri.

IX.

Diploma.

AN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Karolus gratia Dei Rex.

Si petitionibus fidelium nostrorum, maximè Domini Sacerdotum, præcipuè in his, quæ Ecclesiasticis vtilitatibus possunt præbere consultum, benignum commodamus assensum, nobis id ad æternæ remunerationis credimus prouenire augmentum. Proinde nouerit omnium fidelium Dei ac nostrorum, præsentium scilicet & futurorum industria: quia vir venerabilis Hincmarus Remensis Urbis Archiepiscopus obtulit Serenitatis nostræ obtutibus præceptum

prum piæ memoriæ Domni ac genitoris nostri Luduovicus Imperatoris, quod in eleemosynæ suæ augmento Ecclesiæ suæ MARIÆ, atque sancti Remigij fieri decreuit, de opere & operariis, atque omni exactione, quæ tempore aui nostri Domini Karoli Imperatoris ex eadem Casa Dei exigebantur ad Palatium, quod vocatur *Aquisgranum*, vt in ædificatione, & restauratione ipsius Ecclesiæ Dei, per futura tempora, vsque in finem seculi, ad vtilitatem saepe dictæ sanctæ Ecclesiæ in Eleemosyna illius proficerent: & nec ad eundem locum, vel ad alium quælibet ipsæ redditiones vel impensæ vllò vnquã tempore exigerentur: sed remissâ indulgentia illius, in eodem loco proficerent.

Cuius benè gesta rata iudicantes, per hoc nostræ auctoritatis præceptum decernimus, vt quidquid de exactione, vel operariis prædictæ cõstitutionis supra scriptus Dominus, & genitor noster; seu & de muro ciuitatis ipsius, vel viis ad vtilitates claustrum Canonicorum proficientibus in suo præcepto cõcessit; hoc totum perpetuò nostra indulgentia, vel concessione, vel auctoritate concessum, vel cõfirmatum maneat, in perpetuum. Et vt hæc concessionis, vel confirmationis auctoritas per futura tempora certior cognoscatur, & permaneat inconvulsa, eam manu nostra subter firmauimus, & de annulo nostro illam sigillari præcepimus. Data VII. Kal. Iun. Anno decimo regnante Karolo glorioso Rege. Indict. XIII. Actum Vermeriæ Palatio Regio in Dei nomine feliciter, Amen.

X.
Diploma.



In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Karolus Rex.

Carolus Caluus

Si ea, quæ à prædecessoribus nostris, vel fidelium deuotione benè tradita statuta ac confirmata sunt, nouis oraculis roboramus; si etiam illa, quæcunq; necessitate corrupta sunt, regia nostra auctoritate corrigimus, & in melius commutamus, saluti nostræ consulimus, & regium

Vu 2 mini-

ministerium susceptum à Domino, exercemus. Proinde no-
 uerit omnium fidelium Dei ac nostrorum solertia; quia res ex
 Episcopatu Remensi, quas magna necessitate, & per omnia
 inuiti, dum à pastore sancta sedes illa vacaret fidelibus nostris
 ad tempus; vnde temporale quoddam solatium in nostro ha-
 berent seruitio, commendauimus, ordinato & electo munere
 sancti Spiritus per Dei & nostram dispositionem in eadem
 sancta sede N. Archiepiscopo, hoc nostrae auctoritatis præce-
 pro cum integritate: quidquid exinde nos fidelibus nostris
 beneficiauimus, præsentialiter restituiimus, siue etiam illa om-
 nia, quæ tam Clerici, quàm Laici, qui in nostra dominatione
 aliquandiu fuerunt; quosque iam dicto Episcopo commen-
 dauimus, habebant. Et, vt in calce omnia concludamus; quid-
 quid ex eodem Episcopatu, quando de manu N. illum recep-
 imus, alicui præstito beneficio concessimus; per hanc nostræ
 confirmationis auctoritatem in conspectu Dei, coram coetu
 fidelium nostrorum tam Ecclesiastici, quàm laicalis ordinis
 testamento præsentialiter casæ sanctæ *MARIAE*, & sancti *Re-*
migij, atque N. Archiepiscopo cum omni integritate reddi-
 mus, vel restituiimus, vt absque vlla refragatione cassatis qui-
 buscunque aliis conscriptionibus easdem res, per hanc no-
 stram auctoritatem recipiat, vt, sicut res Ecclesie Dei, tam ipse,
 quàm successores ipsius disponant. Quam auctoritatem, in
 qua nos vltimus tale quiddam erga ipsam casam Dei non a-
 cturos spondemus: & vt nemo successorum nostrorum agere
 moliat, per omnipotentem Dominum eiusdem Virginis fi-
 lium obsecramus, vt per ventura tempora certior habeatur, &
 contra æmulos ipsius Ecclesie sui notitia valeat, manu nostra
 subter firmauimus, & annuli nostri impressione roborare
 decreuimus. Data Kal. Octob. anno VI. regnante Ka-
 rolo glorioso rege Indiæ. VIII. Actum in
 pago Andegauensi in villa N.

o(3o



XI. Di-

Diploma Lotharij Imperatoris.

IN nomine Domini nostri IESU Christi Dei æterni, Lotharius diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus. Quia confessio delictorum non minus in aduersis necessaria est, quàm in prosperis, & cor contritum & humiliatum Deus non despicit; gaudium etiam esse Angelorum in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente; non dubitamus mortales in terris; eos nequaquam despiciamus; pro quibus gaudere Angelos in cælo diuino testimonio non ignoramus; accusantes, & reprehendentes in excessibus semetipsos, diuina nos benignitas non condemnare, sed recreare docuit; quæ meretricem non solum à legali damnatione eripuit; verùm etiam publicanum humiliatum, & accusantem se, non condemnauit, sed magis iustificando exaltauit. qui, non dixit, *omnis qui se humiliat condemnabitur, sed, exaltabitur.* Potestatem ergò, quam pro causa nostra raptus perdidisti, repetentibus Ecclesiæ suæ filiis, presentibus quoque astantibus, ac decernentibus Præsulibus, sedem ac diocesim, Remensis Urbis tibi N. restituimus, vt pristino sanctæ largitatis Apostolicæ pallio indutus; concordiam, atque gratiam diuini Officij nobiscum humili satisfactione expleas, solenni nostra largitate recipiendo exerceas. N. Episcopus assensu. N. Archiepiscopus cum cæteris plurimis presbyteris, ac diaconibus publicè assistentibus. Actum in N. Palatio publico, in mense Iunio 1 x. Cal. Iul., regnante & Imperante Domino Lothario Cæsare, anno reuersionis eius primo, cum esset successor factus Patris in Francia. Indict. III.



Vu 3 Diplo.

Diploma.

IN nomine Domini nostri IESV Christi. Ludovicus & Lotharius diuina ordinante prouidentia Imp. Augg. Si libertatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficij, & necessitates Ecclesiasticas nostro releuamus iuamine, id nobis. & ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquidò credimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus nostris, presentibus scilicet & futuris, quod sanctam Remensem Ecclesiam, in qua præcessores Reges nostri, videlicet Francorum, fidem, & sacri baptismatis gratiam perceperunt, in qua & nos per impositionem manus Domni Stephani Papæ Imperialia sumpsimus insignia, ob reuerentiam fidei Christianæ, & ob animæ nostræ salutem, ab imo construi fecimus, eamque in honorem Domini nostri Iesv Christi, Saluatoris mundi, simul & in honorem eiusdem intemeratę genitricis sanctę MARIÆ consecrari decreuimus.

Itaque diuina inspiratione compuncti, & celestis patrię amore succensi, quædam prædia, quæ eidem sanctę sedi quondam ablata fuerant, deuota mente restitui iussimus, id est, in suburbanis ipsius sanctę Ecclesię Titulum S. Sixti, nec non & Titulum S. Martini, cum appendiciis eorum. Rebus prædictę sanctę Ecclesię temporibus nostris adhuc superaddendum decreuimus, & statuimus per hoc nostrę auctoritatis præceptum, vt non tantum de istis restitutis, sed etiam restituendis; quidquid de ipsis, vel in ipsis rectores & ministri supra memoratę Ecclesię elegerint, ita debeant perpetualiter possidere, atque ordinare, vel etiam facere, prout cunque sibi propensius voluerint, vt absque vilius iniusta contradictione ordinent atque disponant, & faciant quid vtilitati prædictę Ecclesię congruere, & conuenire perspexerint. Et vt hæc nostrę auctoritatis confirmatio presentibus, futurisque temporibus firmiorem in omnibus semper obtineat vigorem,

rem, manibus propriis subter firmauimus, & annuli impressione signari iussimus.

XIII.

Diploma.

IN nomine S. & indiuiduæ Trinitatis Ludeuicus diuina fauente clementia Rex. Nouimus nos ad sacra regimina, & ad imperialem auctoritatem per sanctorum suffragia posse in futurum proficere, & beatæ gratiæ remunerationem æternis diebus mereri, si loca Deo dicata diuino accensamorem procuramus. Ideoque sciat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum posteritas, qualiter nos, per interuentionem nostræ dilectæ genitricis Ouræ, quasdam res sui proprii iuris, quas à largitate beatæ memoriæ patris nostri Arnolphi Imperatoris per imperiale præceptum susceperat, ad cellam S. Emerammi Martyris Christi, nostra regali auctoritate donauimus: Ea quidem ratione, ut easdem res, quædam vidua nomine N. diebus vitæ suæ possideat, ac post dies eius, in ius ac dominationem eiusdem cellæ redeant perpetuis temporibus tenendæ; id est curtem, quæ dicitur N., quidquid in potestate prænominatæ genitricis nostræ eadem die erat. Quod antea præceptis datum non fuerat, extra vel infra terminum eiusdem curtis totum cum omni integritate per consilium & consensum venerabilium Episcoporum, nec non fidelium Comitum nostrorum, & cæterorum omnium, sicut præteritis temporibus in singulis ministeriis Patrum nostrorum ordinatum fuerat, nihil extra dimittentes, in perpetuam possessionem tradidimus cum regimine, & eiusdem banno, mancipiis vtriusque sexus, ædificiis, pontibus & censu, sylua, omnique usu eiusdem syluæ, aquis, piscina, vineis, viis & inuis, exitibus ac reditibus, terris cultis & incultis, molendinis, pratis, pascuis, mobilibus & immobilibus, quasitis & inquirendis.

Et iussimus in hoc præsens præceptum cõscribi, per quod decer-

decernimus, firmiterque iubemus, vt præscripta Ecclesia B. Emmerammi, cui Tuto venerabilis Episcopus præesse dinoscitur, firmissimam cunctis diebus habeat potestatem, sicut cæterarum Ecclesiæ rerum. Et vt hæc largitionis nostræ auctoritas stabilis permaneat, manu nostra subtus eam firmavimus, & annuli nostri impressione sigillari iussimus. Signum Domni Ludeuici serenissimi Regis. Engelbero notarius ad vicē Theotmari Archicancellarij recognoui & subscripsi. Dat. xi. Idus Augusti Anno Incarnat. Domini nostri DCCCC. III., anno Ludeuici piissimi Regis IV. Indiæ. VI. Actum Otinga in Dei nomine feliciter, Amen.

XIV.

*Instrumentum permutationis quorundam
fundorum inter Baturicum Episco-
pum Ratisb. & nobilem
quendam.*

IN Dei nomine placuit atque convenit inter venerabilem virum Baturicum sanctæ Radesponensis Ecclesiæ Episcopum, quæ est constructa in honore sancti Petri Principis Apostolorum, & sancti Emmerammi Martyris, vbi ipse preciosus sanctus corpore requiescit; nec non quendam illustrem virum N., vt quasdam res pro communi utilitate & compendio inter se commutare deberent: quod ita fecerunt.

Dedit igitur prædictus Episcopus ex ratione prædicti monasterij sui vnâ cum consensu monachorum in eodem monasterio degentium, & per licentiam Domni Ludeuici Regis eidem N. villam, quæ dicitur N., & territorium cum calis desuper positis, cum mancipiis V., pratibus, pascuis, & omnia, quæ ibidem habere visus fuit. Et e contra in compensationem harum rerum dedit idem N. ex suo proprio, Præfato Baturico Episcopo ad partem supra dicti monasterij sui territorium N. cum silua, pratibus, & omnibus, quæ ibidem habere visus est. Vnde & duas commutationes pari tenore conscriptas,
inter

inter se fieri, & affirmari voluerunt, vt vnusquisque hoc, quod à pare suo accepit, habeat, teneat, atque possideat, & faciat, quidquid vtilitatis suæ perspexerit. Et taliter hic inter eos inferere placuit. Quod si fuerit post hunc diem vllus ex ipsis, aut qualibet opposita persona, quæ contra hanc commutationem, de qua duæ chartulæ vno tenore conscriptæ esse videntur, venire tentauerit, aut eam infringere conatus fuerit, inferat parti, contra quam litem intulerit, seu regis fisco auri libras duas, & multa componat, & sua repetitio nullum obtineat effectum, sed præsens commutatio, omni tempore firma permaneat cum stipulatione subnixæ.

XV.

*Donatio quorundam bonorum facta
S. Emmerano.*

IN nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Dum diuina nos clementia in præsentis seculo gubernat, oportet, vt de futuro etiam cogitemus: ac, dum in nostra potestate res nostræ constare videntur, eas ob amorem Dei ad loca sanctorum manu & voluntate propria condonemus; vt, cum pius examinatus in iudicio venerit, exinde mercedem habeamus. Quàm caduca enim sint huius vitæ tempora, quamque citò finiantur, ego indignus seruus seruorum Dei N. Abbas mente ac corde pertractans, inscius, quid ventura pariat dies, subito animo incidit, vt salutem animæ meæ mihi quoque ipse dum liceret, prouiderem. Hac diuina miseratione commotus mentem admouit.

Vnde, ob diuinæ religionis amorem, & sicut superius est comprehensum, pro remedio animæ meæ, patris quoque, nec non genitricis, cæterorumque, quorum datione & auxilio locus idem constructus esse cernitur, trado ad S. Emmerammum propria mea, quæ hereditario iure mihi successerunt, hoc est; primitus Ecclesiam cum curte & domo, omni-
Xx que

que ædificio, cum mancipiis, terris, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, quidquid etiam dici poterit tam cultum, quàm incultum; simili ratione ad S. Emmerammum, ut sæpe supra denotatum est, propriæ meæ manudatione, confirmatum esse decerno; ita tamen, ut dum ipse in præfenti vita superstes extitero, omnia, quæ supra ostensa sunt, in mea potestate, absque omni contradictione perdurent.

Placuit etiam mihi vnâ cum venerabili viro Baturico Episcopo & Abbate loci eiusdem, ut si aliquis de parentibus meis, talis, Dei gratia largiente, euenerit, ut eiusdem monasterij Pater, defuncto me, possit existere, vel alius quilibet ex eadem congregatione, ut prædictum locum, sicut præfatus sum, habeat in potestate, & cum omnibus ibidem huic loco aspicientibus ad sanctum & venerabilem locum B. Martyris Emmerammi, & venerando Baturico Episcopo, vel etiam successoribus suis caput inclinet, seruitiumque persoluat. Hæc omnia sicut supra notavi, pleniter tradidi in eatione, ut mihi Baturicus Episcopus ad dies vitæ meæ in beneficio habendum concederet, id est, casam dominicam cum curte & Ecclesia, cum omni que reliquo ædificio, quidquid ibidem aspicit.

XVI

Diploma.

IN nomine Domini Dei & Saluatoris nostri IESU Christi Ludouicus diuina ordinante providentia Imperator Augustus. Imperialem celsitudinem decet prædecessorum suorum piè facta non solum inuolabiliter conseruare, sed etiam censuræ suæ auctoritate alacriter confirmare. Idcirco nouerit omnium fidelium nostrorum industria; quia Abbas de monasterio Stabulao detulit nobis præceptum Hilderici regis; in quo continebatur, qualiter sanctus vir Remaclus detulisset ei præceptio-
nes

nes Sigiberti regis, in quibus erat insertum, qualiter eandem cellulam nouo opere construxisset, & de sua foraste, XII. leucas vndiq; mensuratas, & quæ infra erant, pro diuino ei amore concessisset. Sed pro firmitatis studio petiit prædictus Abbas, vt nos denuò per nostrum præceptum prædictam Foresten nostra auctoritate concederemus, atque confirmaremus Monasterio. Cui petitioni libenter annuimus; & vt deprecatus est, per hoc nostrum præceptum confirmauimus.

Præcipientes ergò iubemus, vt nullus fidelium nostrorum de prædicta Foreste vllam inquietudinem, aut infestationem, aut contrarietatem prædicto monasterio, suisque rectoribus facere vllò vnquam tempore præsumat, sed, liceat monachis ibidem Deo famulantibus, ad proprias supplendas necessitates ipsam cum omni integritate perpetuis temporibus habere absque alicuius infestatione, aut resultatione, vel diminoratione.

Deprecati sunt etiam nos, de decimis & capellis ab antecessoribus nostris sibi collatis ex quibusdam fiscis nostris, vt pro firmitatis studio & animæ nostræ emolumento, donum prædecessorum nostrorum nostra confirmaremus auctoritate. Quapropter, sicut petierunt, concessimus, & decernimus ac iubemus, vt nemo fidelium nostrorum de decimis & Capellis memorata congregationi aliquid contendere, aut abstrahere, vel diminuere præsumat, nec vllam contrarietatem eis inferre tentet; sed, sicut ab antecessoribus nostris de memorata Foreste, & de iam dictis capellis & decimis constat firmatum, ita, Domino protegente, per hanc nostram auctoritatem nostris & futuris temporibus, maneat inconvulsam.

Hæc verò auctoritas præceptionis nostræ, vt per diuturna tempora valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus, & annuli nostri impressione signari eam iussimus.



Xx 2

Diplo-

Diploma Sigeberti Regis.

IN Dei nomine Sigibertus Rex Francorum vir illustris. Singulariter, & per cuncta feliciter ad mercedis nostræ credimus augmentum petinere, si larga munera summo Deo omnipotenti deuota mente offerre non dubitamus. quia tunc regia potestas suum cultum corroborare videtur, quando, ex propria voluntate compendia seruorum Dei destinare non dubitat. Ideoque sub deuotione animæ nostræ cum consilio magnificorum Episcoporum & aliorum illustrium virorum ex nostræ largitatis munere, monasterium regulare iuxta Patrum conditionem construximus, & ibidem, Christo auspice, Remaculum Abbatem constituimus, vt ibidem secundum ordinem, & monumenta sanctorum Patrum conuersari debeat. Igitur de fisco nostro ad vsus seruorum Dei cum emunitate partem aliquam donamus, vt habeant, possideant, suisque posteris spiritualibus derelinquant, vt potius eos delectet attentius preces pio Domino incessabiliter pro nobis fundere. Et vt hæc præceptio firma & inuiolata permaneat, manus nostræ subscriptionibus subter eam decreuimus roborari.

Diploma Sigeberti Regis.

IN nomine Domini Dei & Saluatoris nostri IESU Christi Sigibertus Rex Francorum vir illustris. Singulariter regni nostri compendia proluxa felicitate, Deo adiuuante, confitemur augmentare, quidquid sacrosanctæ Ecclesiæ propriæ deliberationis arbitrio serenitas nostra contulerit: quia tunc legalis potestas sui culminis fundamenta corroborat, quando larga humanitate condigna munera in honorem Dei conferre non dubitat.

Igi-

Igitur sanctum, ac venerabile Monasterium *Stabulaus* nominatum, cui vir venerabilis Remaclus Episcopus, & Abbas praesesse, Christo auspice videtur, diuina inspiratione communiti decreuimus aliquantulum de fisco nostro consolari. Teloneum igitur, quod ad portum super fluium Ligeris pertinere videtur, pro stabilitate regni nostri ad monasterium superius scriptum nostri muneris largitate concedimus.

Quapropter praesenti ex hoc insimus promulgari praecipione, vt praefato monasterio, nullus ex hoc penitus praesumat existere contrarius: sed quodcunque exinde fiscus noster poterat sperare, in luminaribus iam praedictae Basilicae, vel stipendiis ipsorum monachorum, qui ibidem cursum regulariter quotidianis horis conantur implere, omni tempore proficiat in augmentis. Hanc quoque auctoritatem in omnibus valituram, vt in nostris & futuris temporibus intacta, vel intermerata valeat perenniter permanere, manus nostrae subscriptionibus subter decreuimus roborari.

XIX.

Diploma Othonis Imp.

IN nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis, Otto diuina fauente clementia Imperator Augustus.

Si aliquid de nostrae magnitudinis regia, vel Imperiali munificentia DEI Ecclesiis emolumentum pro stabilitate illarum conferimus, proculdubio id in mercede proprium habemus. Quapropter omnium fidelium nostrorum animaduertat industria, tam praesentium, quam futurorum, qualiter nobis interuentu & admonitione Othonis Carentorum Ducis, quoddam nostrae proprietatis spaciū, capiens ex omni parte in longitudine, siue in latitudine iugera tria in monte Carentino, cum dimidia parte ligni montis illius in latere positi, cum X. iugeribus praetorum iuxta flumē Glana iacentium ad Ecclesiam S. Lamberti Martyris, qualicumque supradieti montis parte, excepta nostra regali sede;

Xx 3 inibi

inibi sancto Lamberto seruientibus placuerit perpetuò possidenda tradere, atque delegare cum exitibus & redditibus, & cum omnibus utilitatibus ad præfata iugera pertinentibus, ea videlicet ratione, vt nemini quidquam in eadem Ecclesia Deo militantes inde debeant: nisi quod ad Dei seruitium spectat. Sed ipse locus, & in eodem loco Deo, & S. Lamberto militanti sub nostri sint mundiburdij defensione suscepti. Ita videlicet, vt nullus Iudex publicus, vel quilibet ex iudiciaria potestate in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas vel nunc idem locus sancto Lamberto donatus possidet, vel quæ deinceps in ius ipsius diuina pietas voluerint augeri, ad causas audiendas, vel ad freda exigenda, aut mansiones, vel ad *paratas* faciendas, aut fidei iussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ iniuste distringendos, aut vllas redhibitiones, seu illicitas exactiones requirendas, vllò vnquam tempore ingredi audeat: vel ea, quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. Sed liceat rectoribus loci supra memorati, fratribusque in eodem loco Christo, & S. Lamberto militaturis omnia ad eum pertinentia, sub emunitatis nostræ defensione, quieto iure possidere, atque pro incolumitate nostrâ, nec non stabilitate regni, Domini clementiam iugiter exorare. Et vt hæc auctoritas nostris, futurisque temporibus Domino valeat protegente inconuulsa manere, manu propria subter eam firmauimus, & annulo nostro assegni inuisimus.

XX.

Diploma Othonis Imperatoris.

N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Otto diuina fauente clementia Imperator Augustus.

Nouerint omnes fideles nostri, præsentis scilicet & futuri, qualiter mercator quidam noster N. dictus, à prædecessoribus nostris libertate donatus, & vxor eius N. vocata tradiderant ad S. Emmerammum monachis ibidem Deo seruientibus prædium N. pro animarum suarum remedio.

dio, ac mercedis æternæ desiderio, ea pactione, vt suæ sine tenus vitæ potestatiuè vsu potirentur viuendi: post amborum de hac luce discessum, integrè pertineret ad S. Emmerammū fratribus seruiendum: quod ita factum est publicè testium ad stipulatione & iure iurando, qui eidem traditioni præsentēs fuerunt, similiter & primi Iudices comitatum Banno adstricti & iuramento idem testificati sunt; hoc est, prædictus locus N. cum mancipiis vtriusq; sexus in pago N. in Comitatu N.

Nos verò hæc audientes, propter Dei amorem, & S. Emmerammi, & venerabilis VVolfgangi Reginensis Episcopi petitionem, nec non Ramuoldi Abbatis fidelis nostri interuentu; satisfaciētes, hanc traditionem Imperiali auctoritate nostra renouauimus, & eundem prædictum locum cum omnibus appēdiciis suis, hoc est, curtibus, cum ædificiis, pomariis, agricolis, pascuis, siluis, pratis, aquis, mobilibus & immobilibus, exitibus & redditibus, quæstis & inquirendis, omniq; legitima traditione ad altare S. Emmerammi Martyris Fratrum vsibus seruienda cum omni integritate concessimus; nemine contradicente, vel fiscalis potentia persona, siue alicuius confanguinitatis eorum conditione. Et vt hæc concessionis nostræ auctoritas firma ac stabilis permaneat, in futuris temporibus, hoc præsens præceptum iussimus inde conscribi, & annuli nostri impressione sigillari, & subtus manu propria corroborauimus. Signum Domini Ottonis magni & inuictissimi Imperatoris Augusti. Hildibaldus Episcopus & Cancellarius vice Villigisi Archicapellani notauit. Dat. Nonis Iulij, Anno Dominicæ Incarnat. DCCCC. LXXIII. Regni verò secundi Ottonis XXV. Imperij autem

XV. A. Æum feliciter Veronæ.

* *
*



XXI. Di-

Diploma Henrici IV. Regis.

N nomine sanctæ Trinitatis, HEINRICVS DEI
clementia Rex.

Omnibus Christi nostriq̃ue fidelibus tam
futuris, quàm præsentibus, notum esse volumus,
qualiter nos ob interuentum Berthæ regni & thori sociæ H.
Patriarchæ, R. Babebergenfis, & Eistetenfis Episcoporum, ca-
terorumq̃ue fidelium N. cuidam seruienti nostro, R. nomi-
ne, militi laudabili IV. non regales mansos, quos idem in be-
neficium habuit, in proprium tradendo firmanimus, firman-
do tradidimus, sitos in villa N. in comitatu N. Comitum, cum
omnibus appendiciis, hoc est, vtriusque sexus mancipiis, ac
cum omni vtilitate, quæ vlllo modo inde provenire poterit.
Dedimus autem deuotè in hæreditariam proprietatem tale
prædium eidem nostro seruienti: quia, nobis pergratus erat,
vtpote vir fidelis, miles strenuus, dies & noctes ad omne ser-
uitium nostrum promptus & paratus. Et vt hæc traditio fir-
ma & inconcussa omni permaneat æuo, hanc chartam inde
conscribi iussimus, quam, vt infra videtur, nostra ma-
nu corroboratam sigillo nostro insi-
gniri fecimus.

F I N I S.



INDEX